

fuerat, simulque ad indicium veritatis baculum ipsius protulerunt. Quem videntes cuncti fideles cum magna^a leticia et gaudio deosculati sunt dicentes: 'Pergamus nunc, fratres, ad sancti patris nostri sepulcrum, pariter et preceptum beati Petri apostoli perficiamus celeriter'. Cumque pervenissent Elegium ad beati Materni sepulcrum, terram effodientes et loculum aperientes invenerunt corpus magistri integrum et incorruptum, acsi eadem die fuisset sepultum. Accedentes itaque Eucharius et Valerius bacterium beati Petri in manibus ei dederunt ac simul adiungentes dixerunt: 'Pater Materne, hæc tibi mandat beatus Petrus, domini nostri Iesu Christi apostolus, ut in nomine sancte^b trinitatis exurgas et iniunctum tibi officium sancte predicationis perficias'. At ille acsi^c de gravi somno expergefactus oculos aperuit, manus baculum tenens ad celum levavit. Quod videntes discipuli manus eius tenuerunt ac de tumultu levaverunt. Confestim clamor ingens fidelium qui aderant ad tollitur, Christusque ore cunctorum benedicitur. Beatus vero Maternus manu silentium indicens tali eos sermone alloquitur: 'Ego quidem, fratres, ut scitis, de huius seculi erumna sublatus, sed in eterne beatitudinis fui sede collocatus perspexique sanctorum gloriam et malorum sine fine miseriam. Precibus itaque beati apostolorum principis Petri^d huic vite a Christo sum redonatus et XXX^e annis iussus sum vobiscum vivere, quot^f diebus in sepulcro me constat iacuisse^g. Nunc igitur, fratres, Christo regi regum colla subicite^h et fidem catholicamⁱ, quam suscepistis, firmiter tenete et spem beate resurrectionis, me vobis testimonium prebente, certius retinete'. Hec cum dixisset, iterato clamor exoritur, fletus convertitur in gaudium, gaudiumque transit in iubilum. Nec mora, confestim huius rei inrevocabilis fama volat

Agrosque et villas castellaque complet et urbes.

Fit concursus multitudinis utriusque sexus, certatimque se signo fidei insigniri efflagitant. Quibus sanctus singulis manus inponens ac benedicens cathecuminos fecit, dehinc indicta penitentia in nomine sancte trinitatis baptizavit.

Post hec^k civitatem Argentoracum^l ingressus multos civium convertit ad Dominum et auxilio ipsorum ecclesiam

a) 'magna cum' PS.

b) 'sacrosancte' PS.

c) 'quasi' PS.

d) 'b. Petri apost. princ.' PS.

e) BP; 'rursumque tot annis' S.

f) PS; 'quod' B.

g) Dahinter 'veluti 30' S.

h) 'subiicite' Hss.

i) P; 'chatolicam' B; 'Christi' S.

k) BP; 'His ita actis' S.

l) 'Ar-

genteracum' B; 'Argentinam' PS.